

A. - C. GIGON, O. P.

**MISSA  
SACRAMENTUM  
CRUCIS**

*EDITIO QUARTA AUCTA*



[www.traditio-op.org](http://www.traditio-op.org)

1949

MARIETTI

*Ejusdem auctoris:*

**DE THEOLOGIA DOGMATICA:**

Notiones generales (VIII-96 pag.)

Demonstratur existentia Dei (32 pag.)

De modo unionis hypostaticae (40 pag.)

De sacramentis in communi (206 pag.)

De sacramento ordinis (104 pag.)

De limbo puerorum (30 pag.)

De novissimis (136 pag.)

Divinae scientiae causalitas (52 pag.)

# THEOLOGIA DOGMATICA

## DE MISSA PROUT EST SACRIFICII CRUCIS SACRAMENTUM

Praelectiones quas, Deo auxiliante,  
in Univ. Frib. Helv., dabat  
Andreas-Carolus Gigon, O. P.

*Editio IV aucta*



[www.traditio-op.org](http://www.traditio-op.org)

1949

MARIETTI

Nihil obstat:

Friburgi Helv., die 14 decembris 1948.

Fr. A. HOFFMANN O. P., S. Theol. Doct. et Lector  
Fr. GALLUS M. HÄFELE O. P., S. Theol. Mag.

*Imprimi potest:*

Friburgi Helv., die 15 decembris 1948.

Fr. VINCENTIUS M. KUIPER O. P., S. Theol. Mag.  
Superior Domus Albertinensis.

---

Abbreviationes praecipuae:

ES = Enchiridion Symbolorum a Denziger primo editum.  
EP = Enchiridion Patristicum a Rouët de Journal collectum.  
Cav = Thesaurus Doctrinae Catholicae a Cavallera editum.

## PRIMA PARS

### DE EXISTENTIA SACRIFICII EUCHARISTICI

#### 1. — Praenotamen de notione sacrificii.

*Definitio nominalis.* Sacrificium est **sacrum factum**. Sacrum semper dicitur in ordine ad Deum, qui est maxime sacer; ideo sacrificium est actio ordinata ad Dominum totius sanctitatis. — In praesenti consideramus sacrificium prout exigitur in statu naturae lapsae.

*Definitio realis.* Sacrificium est oblatio rei sensibilis aliquantulum destructae, facta ritualiter, ad Deum placandum.

Quo major est destructio, eo perfectior est significatio sacrificii; et quo dignior est oblatio, eo major est sacrificii valor.

Sacrificium est quaedam species, quae sub genere oblationis ponitur. In cultu religioso, offerre est aliquid Deo consecrare; quod respicit directe Deum honorandum.

Oblatio (actus exterior virtutis religionis) est duplex; vel pura; vel sacrificativa.

Oblatio *pura, mere consecrativa*, offert Deo aliquid ut illud in Dei cultu permaneat. «Ex-voto». — Levitae consecrantur ad Dei servitium oblatione. Num. VIII, 13.

Oblatio sacrificativa offert Deo aliquid quod redigitur in statum inferiorem. Ex. gr.: Destruitur animal; comburitur incensum; effun-

ditur vinum; frangitur panis; consumitur cereus ardens in honorem Dei; victima irrationalis occiditur loco peccatoris.

Sacrificare est sacerdotalis actio.

Sacerdos est ille qui ex officio constituitur ut offerat Deo sacrificia, et populo divina tradat.

Quatuor elementa:

1. hostia seu victima;
2. ritualis exinanitio;
3. oblatio sacerdotalis;
4. placatio divinae justitiae

integrant perfectionem veri sacrificii.

Sacrificium		
Actio externa	Intentio sacerdotalis	
I	II	III
materia sensibilis ;   hostia-victima.	forma sensibilis ;   destructio ; ritualis exinanitio ;   expressio externa intentionis.	oblatio ; offerre Deo hostiam sacrificatam ;   finis intrinsecus sacrificii.
IV		
finis extrinsecus ; Deus placatus.		

Actio sacrificialis est :

- a) maxime in oblatione rei sacrificatae ;
- b) tantum participative in destructione ipsa, quia :

1) sacerdotis proprium est offerre non mactare ;

2) de facto, saepe in occisionibus ritualibus, sacerdos non occidit, sed tantum offert. Ex. gr. in Lev. I. 5. (Homo quilibet) immolabitque vitulum coram Domino et offerent filii Aaron sacerdotes sanguinem ejus. — II. Paralip. XXX. 16. Sacerdotes vero suscipiebant effundendum sanguinem de manibus levitarum, eo quod immolarent levitae. — II. Mach. I. 23. Orationem faciebant sacerdotes dum consummaretur sacrificium.

Destructio victimae, si fit :

a) a sacerdote vel ex rituali jussu, pertinet ad actionem sacrificalem ;

b) sine ulla participatione sacerdotali, est dispositio materiae ad sacrificium.

Motivum sacrificii est efficaciter significare :

I. dominium Dei absolutum in totum ens ;

II. detestationem peccati, quo peccator mortem meruit.

## 2. — Errores de existentia sacrificii missae.

Negant existentiam immolationis eucharisticae Christi :

1. et remote : impugnantes existentiam sacrificii crucis ; ita rationalistae, quibus annumerandi sunt modernistae docentes : « Doctrina de morte piaculari Christi non est evangelica sed paulina ». ES. 2038.

2. omnes illi qui non agnoscunt, in religione christiana, nisi sacrificium cruentum crucis et pro quibus sola fides justificat.

Ita multi protestantes asserentes : « Agnoscere missarum sacrificia est sacrificio crucis injuriam irrogare ». — Contra quos docet Tridentinum : « Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto, per missae sacrificium, aut illi per hoc derogari : A. S. » ES. 951.

\*\* — GIGON, *Missa sacramentum crucis*.

3. qui non confitentur Christum esse realiter in eucharistia praesentem.

Ita Berengarius et imitatores ejus.

Praecipua motiva negandi existentiam immolationis eucharistiae sunt sequentia :

1. Christus « u n a oblatione (immolativa) consummavit in sempiternum sanctificatos ». Hebr. X, 14.

Cum sacrificium christianum sit unicum, in cruce cruentur oblatum et superabundans, non est agnoscendum aliud sacrificium seu alia immolatio quotidiana et incruenta in missarum celebratione.

2. Immolatio Christi peracta est in ejus crucifixione. Sed in missa non adest crux, neque crucifixoires, neque mors Christi dolorosa.

3. In Novi Testamenti sacrificio, idem est sacerdos et hostia. Sed, in missa, celebrans nullo modo sese in hostiam immolat.

4. Exemplata imago non est exemplar. Supposito quod missa commemoret sacrificium crucis, non constituit ipsam immolationem crucis vividam ; sicut ritus agni paschalis nullo modo dicitur sacrificium crucis, quamvis fuerit ejus figura praecipua. Cfr. III, 83, I, objectiones.

**3. — Conclusio I. —** *Missa seu eucharistiae celebratio est verum et singulare et proprium sacrificium, a Christo, pro nobis, institutum.*(de fide).

Declaratur ex Concilio Tridentino. Sessio XXII integra est « de Sacrificio Missae ».

« Sacrosancta et oecumenica et generalis Tridentina Synodus... ut vetus... de magno Eucharistiae mysterio... doctrina retineatur... de ea quatenus *verum* et *singulare* sacrificium est... quae sequuntur, docet... ». ES. 937 a.

« Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo *verum* et *proprium* sacrificium... A. S. ». ES. 948.

Declaratur insuper :

— Ex professione fidei tridentina : « Profiteor pariter in Missa offerri Deo *verum*, *proprium* et *propitiatorium* sacrificium pro vivis et defunctis... ». ES. 997.



— Ex professione fidei imposita Orientalibus. ES. 1469.

— Ex damnatione sequentis propositionis Baii: «Sacrificium Missae non alia ratione est sacrificium, quam generali illa, qua, omne opus quod fit ut sancta societate Deo homo inhaereat». ES. 1045.

— Ex Enc. PII XII, «Mediator Dei et hominum» die 20 nov. 1947. «Augustum igitur altaris Sacrificium... est... vera ac propria sacrificatio, .. incruenta immolatio, .. eucharisticum sacrificium, .. verum sacrificium a sacrificio crucis distinctum...». A.A.S. 2 dec. 1947, pag. 548-549-598.

Quod celebratio missae sit sacrificium a Christo nobis specialiter destinatum, evidentissime apparet

I. ex narratione institutionis eucharistiae, consummata per praeceptum: «Hoc facite in meam commemorationem»; Lc. XXII, 19; I Cor. XI 24-25; et

II. ex confirmatione Tridentini: «Si quis dixerit, illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, Christum non instituisse apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi alique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum: A. S.». ES. 949.

«Ut dilectae sponsae suae Ecclesiae visibile relinqueret sacrificium... corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini obtulit, ac Apostolis... tradidit et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent praecepit per haec verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, uti semper catholica Ecclesia intellexit ac docuit». ES. 938.

**4. — Probatur ex I. Cor. X, 16 et XI, 26 sqq., una cum narratione synopticorum de institutione eucharistiae.**

De sensu textus I. Cor. X 16-22. — Totius antiquitatis mos fuit sacrificare deitati victimas et comedere de carnibus ita immolatis ad melius profitendum religionem suam et ad unionem cum Deo suo arctius confirmandam. Et haec etiam apud judaeos vigeabant: «Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?»

Corinthi, sicut aliis in locis, cultores idolorum offerebant sacrificia seu victimas immolabant diis falsis, id est daemonibus; carnes ita sacrificatae partim manducabantur in liturgico prandio, partim venundabantur publice in foro ad usus communes. Emptor quilibet poterat

uti iis alimentis ut *communibus* cibus, sine relatione ad eorum originem. Apostolus non iudicat inconveniens quod fideles vescantur quibuslibet carnibus in foro emptis, nisi adsit scandalum pusillorum vitandum, scilicet nisi sit quis monens de origine alimenti et reputans ejus manducationem significare professionem *idololatriae*.

Ab Apostolo prohibetur severissime christianos participare prandio *religioso* paganorum; esset communicare cum infidelibus in sacris active et formaliter. Tunc etenim convivae assumendo in cibum carnes victimarum idolis sacrificatarum, intendebant eo ipso participare sacrificiis idololatricis. In hoc casu, secundum omnium aestimationem, unio contrahebatur vel confirmabatur inter cultorem deitatis et ipsam deitatem. Participatio ad convivia illa iudicabatur apostasia ab evangelica fide.

Christianus pani et vino eucharisticis participans, ipsum corpus Christi manducat et ipsum Christi sanguinem bibit; ipse fit unum cum capite suo mystico: « Calix cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? ». Qui autem participant formaliter epulis idolorum fiunt socii daemoniorum. Nefas est eundem hominem colere insimul et mensam Domini et mensam daemoniorum, bibere calicem Domini et calicem daemoniorum, participare sacrificio veri Dei et sacrificio idololatratico.

Ex verbis Pauli in I Cor. X, 16-22 concluditur in eucharistia adesse realiter corpus et sanguinem Christi atque praesupponitur offerri Deo verum et reale sacrificium; etenim adest et victima, et immolatio, et participatio ritualis ad ejus sumptionem, unde mors ejus sacrificialis subintelligitur.

De I Cor. XI, 20 sqq. — Ad imitationem coenae Christi novissimae, liturgia christianorum primitiva duabus partibus componebatur: aderat primo coena in communi sumpta, et postea, fractio panis seu eucharistiae receptio. Ad coenulam agendam, fideles copiam bonorum materialium possidentes, afferebant oblationes suas, quas cum pauperibus dividere debebant, ita ut omnes praesentes insimul aliquid sumerent in signum fraternae caritatis. Ante prandii inceptionem, adventus omnium expectabatur, ita ut nullus pauper adveniens coenula sua privaretur.

Sed dominica coena, ad caritatem fovendam instituta, transformabatur in vulgare convivium, ad necessitates corporales, immo ad gulam et ad vanitatem satiandas.

« L'agape n'avait pas un but alimentaire : chasser la faim, nourrir les corps, mais comme son étymologie l'indique, elle était un cérémonie instituée pour signifier et renforcer les liens de la charité fraternelle ; son couronnement était la *fractio panis* ».

Valde esuriens, domi debebat satiare famem suam, ante accessum ad ecclesiam, quia conventus ille christianus non erat coena profana, sed liturgica caeremonia.

Corinthi fideles, negligentes auream caritatis regulam, imitabantur paganorum convivia ; neglectis pauperibus, divites seorsim epulabantur laute ; immo usque ad ebrietatem potabant, et in iis incongruis dispositionibus accedebant ad corporis et sanguinis Christi sumptionem. Talis excessus vituperandus erat, et ad hoc apostolus commemorat Christum instituentem eucharistiam, convertentem scilicet panem in proprium corpus, et vinum in sanguinem suum, ita ut sit vivida passionis suae repraesentatio.

Unde quotiescumque offertur Eucharistia, celebratur mors Domini ; corpus ejus adest a sanguine separatum. Manducans panem eucharisticum indigne, fit reus ipsius corporis Domini ; bibens vinum eucharisticum indigne, fit reus ipsius sanguinis Domini. Ideo supponitur realis praesentia corporis et sanguinis Domini.

Exemplis illustratur differentia inter peccare in personam tantum, et etiam in ipsum corpus personae :

Mittens hominem viventem in aquarium in murenarum cibum non peccat solum contra dignitatem personalem hominis sed contra ipsum humanum corpus, ibi praesens et in pabulum indigne projectum. Crucifixores Christi non tantum in ejus personam, sed in ejus proprium corpus peccaverunt. Ita qui indigne communicant peccant, secundum Paulum, contra ipsum corpus Domini ; ideo corpus illud debet vere esse praesens.

E contra Judaei qui in statu indignitatis manducabant mannam vel paschalem agnum, non erant rei corporis Christi, quia in illis rebus tantum praefigurabatur Christi corpus ; et non erat ibi vere praesens. Infidelis conculcans crucem, peccat tantum in personam Christi, non in ejus proprium corpus, quod nullo modo est ibi praesens. Non peccatur in humanum corpus ipsum, si tractatur indigne res in qua corpus non est praesens, puta si despicitur hominis imperium, symbolum. Unde si in Eucharistia non esset corpus Christi praesens, non fuisset ibi possibilitas peccandi contra ipsum Christi corpus, sed solum contra ejus personam.

Aliud est crimen contra corpus ipsum, faciens reum corporis ; et aliud est crimen contra sanguinem, faciens reum sanguinis. Ista sunt duo distincta peccata ; quae pluralitas non praedicaretur de sola persona.

Non docet apostolus quod indigne communicans fit reus erga *personam* tantum Domini, erga honorem divinum ; sed etiam erga ipsum Christi *corpus*. Ideo species panis et vini non sunt vacua symbola, sed realiter continent ipsam substantiam corporis et sanguinis Domini. Crimen sacrilegii est, sub pane consecrato, nolle discernere corpus eucharistiatum, et, sub vino consecrato, nolle adorare ipsum sanguinem Christi effusum. Taliter delinquens manducat et bibit proprium Judicem, ideo meretur eo ipso suam condemnationem.

Tridentinum docet quod in textu citato, Apostolus Paulus *non obscure innuit* sacrosanctum Missae sacrificium. ES. 939.

Propterea ex textibus I Cor. X et XII, et ex locis synopticorum de eucharistiae institutione, sequentem ordinamus argumentationem theologiam :

In quolibet sacrificio adesse debent quatuor elementa :

1. victima ;
2. immolatio ;
3. oblatio sacerdotalis ;
4. communicatio ad fructus sacrificii

quae constituunt essentiam sacrificii.

Sed in eucharistiae celebratione, secundum praecitatos textus ista omnia habentur ; nam adsunt :

1. *Victima praesens*. Hostia illa est Christi humanitas.

Asseruit ipsa Veritas incarnata : « Hoc est corpus meum. — Hic est sanguis meus ». Mt. XXVI, 26 et 28, et locis parallelis.

Indigne communicans est « reus corporis et sanguinis Domini, non dijudicans corpus Domini ». I Cor. XI, 27 et 29.

Unde adest praesentia realis, vera, substantialis corporis et sanguinis Verbi incarnati.

2. *Immolatio seu humanitas Christi ut immolata*. Humanitas assumpta invenitur in statu immolationis si corpus ejus est a sanguine separatum.

Corpus traditum separatur a sanguine effuso ; corpus datur ad manducandum et sanguis ad bibendum. Sed non manducatur caro, nisi oc-

cisa ; non bibitur sanguis, nisi post mortem viventis ; unde praeexigitur mors cruenta victimae.

Ipsa eucharistiae celebratio est mystica annuntiatio mortis Domini, quae ita vivide commemoratur.

*III. Oblatio ritualis super mensam altaris a sacerdote peracta.* Oblatio missae est actio principaliter a Christo peracta « in qua nocte tradebatur » et ipsa a nobis sacerdotibus per participationem ponitur.

Mensa Domini, calix Domini significant Dominum Jesum esse istius ritus institutorem.

Mensa Domini opponitur mensae daemoniorum, sicut altare veri cultus adversatur altaribus falsi cultus.

*IV. Communicatio ad fructus sacrificii per manducationem victimae.* Olim, non solum judaei, sed omnes populi edebant carnes hostiarum, ad unionem suam cum deitate confirmandam.

Praecepit quoque Redemptor : « Accipite et manducate. — Bibite ex hoc omnes ».

Scriptus est Apostolus : « Habemus altare de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt ». Hebr. XIII, 10.

Actiones istae rituales : *manducare dominicam coenam, bibere calicem Domini, participare mensae Domini*, causant unionem cum Deo, immo cum aliis communicantibus. « Unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus ».

Fructus specialiter consequendus est placatio divinae justitiae. Sanguis Christi effunditur in remissionem peccatorum ; ideo eucharistiae celebratio comparatur ad sacrificium expiationis. Lv. XVI.

Dicitur etiam sanguis novi foederis, seu consecrans novum testamentum (Mt. XXVI, 28 et loc. par.). Sicut testamentum antiquum, ita et novum debuit sacrificio consummari.

5. — Confirmatur conclusio ex titulo qui saepe, in Scriptura, Concilio et Traditione, tribuitur Christo-Sacerdoti, scilicet esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech. Ex. gr. in psalmo 109 et pluries in epist. ad Hebraeos.

Tridentinum : « Christus declarans se sacerdotem secundum ordinem Melchisedech in aeternum constitutum, obtulit Deo Patri corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini ». ES. 938.

Ratio theologica. Ubi hostia immolata offertur a sacerdote ad Deum placandum, ibi datur sacrificium. — Sed in celebratione eucharistiae, sub speciebus oblationis Melchisedech, humanitas Christi immolata offertur a Christo-Sacerdote ad Deum placandum.

Explicatio. Melchisedech, *rex justitiae et pacis*, mere narrative in Gen. XIV, sub forma aeternitatis introductus, et non habens successorem in suo officio, apparet maxime ut *sacerdos Dei altissimi*. Tales qualitates competunt ipsi Melchisedech secundum modum exponendi quaedam et tacendi alia (Hebr. VII).

Eaedem qualitates, non secundum superficiem litterae, sed secundum realitatem competunt Christo, quia ipse Salvator, *princeps pacis*, est in terris *sine patre*, in coelis *sine matre*, secundum divinitatem *sine principio* et *sine fine dierum*; est sacerdos jure nativo seu unione hypostatica. Non datur sacerdotium verum nisi ex participatione sacerdotii Christi. Unde inter figuras adumbrantes Christum-Sacerdotem, Melchisedech maxime eminet.

Christus, ita sacerdos existens secundum ordinem Melchisedech, debuit assimilari Melchisedech, immo superare illum, non solum quoad originem, potestatem regiam, durationem sine fine, sed quoad praecipuum, scilicet quoad actum suum excellenter sacerdotalem. Actus autem praecipuus Melchisedech non fuit quod benedixit Abrahae, neque quod ab ipso decimas accepit de omnibus, sed quod *obtulit panem et vinum*. Ergo actiones quibus Christus obtulit species panis et vini sunt, secundum ritum sacerdotii Melchisedech, oblationes vere sacerdotales.

Christus confirmavit de facto se sacerdotem esse secundum ordinem Melchisedech in aeternum constitutum, dum corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit.

Sed in iis, sicut in omnibus aliis, eminet virtus infinita Christi. Dum apud Melchisedech, agebatur de oblatione hostiae non viventis, apud Christum agitur de oblatione perfectissime sacrificativa alicujus victimae; nam sub speciebus adsunt vere, realiter corpus Christi traditum et sanguis ejus effusus.

Unde cum in celebratione eucharistiae, sacerdotes reproducent potestative actionem illam Christi, bene concluditur quod in celebratione eucharistiae offerunt Deo illud verum et proprium sacrificium, quod fuit olim maxime per sacrificium Melchisedech praefiguratum.

6. — **Confirmatur ex prophetia Malachiae, I. 10-11.** « Non est mihi voluntas in vobis (scilicet sacerdotibus aaronicis), dicit Dominus, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus ».

Quaestio est: Quanam sit illa oblatio munda et illud sacrificium ubique oblatum?

Respondetur: In concilio tridentino, Ecclesia, «cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum» (ES. 785), intendens exponere doctrinam de sanctissimo sacrificio missae, sequentia protulit: «Et haec quidem illa munda oblatio est, quae nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest, quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam praedixit. . . » (ES. 939).

In ipso textu Malachiae annuntiatur prophetice sacrificium: 1) *verum*. — Probatur A) ex terminis ritualibus: *sacrificatur* (muktar) et *offertur* (muggash) nomini meo *oblatio* (minchah) munda; quae sunt termini proprie sacrificales.

B) ex personis ad quas oratio dirigitur et quae sunt sacerdotes, quorum proprium est offerre oblationes et sacrificia ad Deum honorandum et placandum.

2) *mundum*. — Agitur etenim de oblatione tam excelsa et suprahumana «quod ipsa nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari possit». ES. 939.

3) *novum*. — Celebrabitur illa oblatio tempore renovationis religiosae, id est tempore Messiae; sublato sacerdotio levitico, aliud sacerdotium surgere debebat. Modo prophetico, pro praesenti exprimitur quod revera ad futurum pertinet. Tempore Malachiae, circa annum 450, sacerdotes aaronici victimas impuras offerebant, et quidem valde negligenter: eorum cultui cultus novus subrogabitur.

4) *universale*. — Sacrificium et praenuntiata oblatio non erunt amplius privilegium judaicum, nam extendentur ad omnes gentes. «Ab ortu solis usque ad occasum. . . in omni loco» celebrabuntur in *gentibus*, per oppositionem ad solos judaeos.

Sed istae proprietates non conveniunt nisi celebrationi Eucharistiae; nam impossibile est eas convenire sacrificiis:

- a) *leviticis*, — quae erant abroganda et non amplius a Deo acceptata.
- b) *gentilium*, quae erant impura.
- c) *spirituali* (seu mentis contribulatae), quia tale sacrificium semper exstitit et non dicitur sacrificium nisi metaphorice.
- d) *crucis in seipso solo*: quod fuit cruentum et nullo modo universale.

Ergo cum prophetia debuit impleri, et cum notae sacrificii praenuntiati non competunt nisi celebrationi eucharistiae, concludendum est missam esse vere et proprie illam oblationem sacrificalem, « quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam praedixit ».

Quae omnis interpretatio confirmatur ex traditione christiana antiquissima, etenim sequentia habet

Didachê: « Die dominica autem convenientes, frangite panem et gratias agite, postquam delicta vestra confessi estis, ut sit mundum sacrificium vestrum. Omnis vero cui est controversia cum amico suo, ne conveniat vobiscum donec reconciliati sint, ne inquinetur sacrificium vestrum. Hoc enim est dictum a Domino: In omni loco et tempore offeratur mihi sacrificium mundum, quoniam rex magnus sum, dicit Dominus, et nomen meum mirabile in gentibus ». (EP. 8).

Justinus, Dialogus cum Tryphone judaeo: «... De sacrificiis quidem quae a vobis offerebantur, sic Deus, ut jam dixi, per Malachiam, unum ex duodecim, loquitur: *Non est voluntas mea in vobis* etc. De iis autem sacrificiis, quae in omni loco a nobis gentilibus offeruntur ei, hoc est de pane eucharistiae, et de calice similiter eucharistiae, jam tum praedicit, illud etiam addens, nomen suum a nobis glorificari, a vobis autem profanari ». (EP. 135).

**7. — Ratio convenientiae.** — Non datur religio aliqua, a fortiori religio perfecta, sine actuali sacrificio.

Si, in missa, celebratio eucharistiae non esset sacrificium, ipsa christiana religio actuali sacrificio omnino careret, quod esset summe inconveniens.



## II. PARS

### DE SACRIFICIO CRUCIS

#### A. — DE EJUS EXISTENTIA

**8. — Conclusio II. — Passio Christi in cruce fuit verum et proprium sacrificium.**

Probatur. In passione Christi adfuerunt omnia elementa veri ac proprii sacrificii nam adfuerunt :

- 1) victima,
- 2) destructio ritualis,
- 3) oblatio, Deo facta, victimae immolatae,
- 4) remissio peccatorum perfecta. Etenim :

1) Adfuit victima et quidem perfecta :

In passione, humanitas Christi fuit victima perfecta ; nam fuit :  
caro animata, ut possit immolari (et manducari sacramentaliter) ;

humana, quia genus humanum peccaverat ;  
mortalis, ut sit apta poenae peccati suscipiendae ;  
Christi, ut sit innocens ;  
Dei, ut sit infiniti valoris.

2) Adfuit destructio ritualis.

Occisio Christi, comparata ad voluntatem occidentium, fuit delictum ingens ; sed comparata ad voluntatem Christi libere et potestative

patientis, seipsum offerentis secundum prophetias, fuit vera ritualis exinanitio victimae.

Quando ipse sacerdos est victima, sacrificium consistit praecipue in actione interiori qua sponte et potestative sacerdos offert Deo suum pati, voluntarie et religiose acceptatum.

Martyrium, de se, non est sacrificium quia :

- a) generatim martyres non patiuntur ut sacerdotes ;
- b) in illis mors oritur necessario ex vi tormentorum ;
- c) patiuntur ex fortitudine et non secundum actionem ritualement.

E contra Christus passus est

- a) ut sacerdos ;
- b) potestative ; quando voluit emisit spiritum ;
- c) ex religione secundum praefigurationem omnium sacrificiorum antiquorum.

3) Adfuit oblatio, Deo facta, a Christo sacerdote.

Eph. V. 2. « Sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. »

4) Adfuit reconciliatio perfecta cum Deo.

II. Cor. V. 19: « Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi ».

## B. — DE PROPRIETATIBUS SACRIFICII CRUCIS

### 9. — Praenotamen de distinguendis circa sacrificium.

Distinguitur sacrificium :

I) **absolutum** = in se solo perfecte consistens ; independenter a quolibet alio existens ; est sacrificium in quo victima, in suo statu *proprio, naturaliter* sacrificatur et offertur ;

II) **relativum** — sacrificii absoluti *signum*, symbolum, aut sacramentum, quod potest esse :

- a) vacuum, fictum, pure commemorativum, mere significans, extrinsece tantum repraesentans ;

- b) non vacuum, sed continens vere ipsam realitatem sacrificii absoluti; significans et divinitus continens rem significatam. Ita in baptismo, ablutio aquae sub praescripta forma, significat, continet et producit supernaturalem generationem.

Exempla :

Si homo, prius immolatus, resuscitaretur ad vitam humanam et denuo immolaretur, esset in secunda morte, sacrificium novum *absolutum*, quia daretur destructio *novae* vitae et oblatio totaliter *nova*.

Repraesentationes scaenicae passionis in Oberammergau possent dici sacrificia relativa ficta, nude commemorativa.

Sacrificium agni paschalis erat

- 1) absolutum in seipso et
- 2) pure relativum quoad sacrificium crucis.

Coena protestantica, ut nudum symbolum passionis, posset dici sacrificium *mere relativum*; nihil continet praeter *nudam* repraesentationem.

**10. — Conclusio III. — Sacrificium crucis fuit sacrificium absolutum.**

Probatur. — Si, in sacrificio crucis adfuit :

- 1) victima, in suo *proprio* statu ;
  - 2) cujus fuit immolatio *naturalis* ;
  - 3) quae fuit *realiter oblata* per summum sacerdotem ;
  - 4) ad omnes effectus salutis *efficaciter* obtinendos ;
- revera sacrificium illud crucis fuit absolutum.

Sed, de facto, in cruce adfuit :

- 1) victima *in suo proprio statu humano* ; et est de fide contra doctas, gnosticos, Arium et Apollinarem.

Adfuit natura humana a Verbo assumpta, vera et integra. (Florentinum, ES. 708).

Secundum symbolum athanasianum, Christus fuit *perfectus homo ex anima rationali et humana carne subsistens*. ES. 40.

2) immolatio fuit *naturalis* ; cruenta ;

Florentinum profitetur *Dei Filium in assumpta humanitate. . . vere passum, vere mortuum et sepultum*. ES. 709.

« *Unigenitus Dei Filius. . . pretioso sanguine nos redemit, quem in ara crucis innocens immolatus non guttam sanguinis modicam. . . sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse* ». (Clemens VI, ES. 550).

Corpus Redemptoris vere fuit traditum ; sanguis ejus vere effusum, usque ad mortem crucis.

3) Sacrificium crucis fuit *realiter oblatum* per Christum, qui est Summus Sacerdos noster et fons cujuslibet sacerdotii in novo Testamento.

Concilium Ephesin. « Pontificem et apostolum confessionis nostrae factum esse Christum, divina scriptura commemorat » (Hebr. VII, 1). ES. 122.

« Oportuit sacerdotem. . . surgere D. N. J. C., qui posset omnes quotquot sanctificandi essent consummare ». Trid. ES. 938.

Ipse autem Christus, sacerdos et hostia, seipsum in ara crucis, Deo Patri obtulit.

4) *Omnes salutis effectus nobis obtinentur per cruentum crucis sacrificium*.

« *Christus per sui sanguinis effusionem thesaurum militanti Ecclesiae acquisivit. . . infinitum* ». Clemens VI, ES. 550.

« *Christus. . . sua sanctissima passione in ligno crucis, nobis justificationem meruit* ». Tridentinum. ES. 799.

« *Christus per sui sanguinis effusionem nos redemit, eripuitque de potestate tenebrarum et in regnum suum transtulit* » (Col. I. 13). Tridentinum. ES. 938.

« *Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulae adspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi* ». Hebr. IX, 13-14.

**11. — Conclusio IV. — In divinis christianae religionis ritibus, non datur sacrificium absolutum nisi unicum.**

Probatur. — Si, in divinis christianismi ritibus, non datur nisi

- 1) *una* victima in suo *proprio* statu et
  - 2) *cujus* non est nisi *una* immolatio *naturalis*,
  - 3) *quae* fuit oblata *semel pro semper* a summo sacerdote
  - 4) ad *omnem omnino effectum salutis* obtinendum, —
- non datur nisi *unicum* sacrificium absolutum.

Sed in divinis ritibus nostris non datur de facto nisi

- 1) *una* victima sacrificii in suo statu proprio; nam est *unica* incarnatio, *unica* humanitas assumpta in suo *statu humano connaturali* ;
  - 2) *unica* immolatio *naturalis* ; nam semel sub Pontio Pilato, Christus passus est *naturaliter* mortem secundum supplicium crucis.
- I. Pet. III. 18 : « Christus *semel* pro peccatis nostris *mortuus* est. »  
De fide est *unicam* esse immolationem cruentam.

3) *unicus* sacerdos summus proferens oblationem istius victimae *semel pro semper*. Hujus sacerdotii et hujus oblationis alii sacerdotes et aliae oblationes non habent nisi participationes.

Unicus est Mediator. I. Tim. II. 5-6 : « Unus enim Deus, *unus et mediator Dei et hominum* homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus ».

Hujus unici mediatoris, *unica* fuit *cruenta* oblatio. Trid. ES. 938. « Dominus noster... *semel* se ipsum in ara crucis morte intercedente Deo Patri *oblaturus* erat. »

Trid. ES. 940. «...Christus... in ara crucis *semel* se ipsum cruento obtulit.

Hebr. IX. 28. « Sic et Christus *semel oblatus est* ad multorum exhaurienda peccata. »

Hebr. VII. 27. « Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populo ; hoc enim fecit *semel, se ipsum offerendo*. »

4) *unica redemptio* quae est per crucem. Magis quam quaelibet opera Christi, passio fuit meritoria, satisfactoria, redemptiva, salutifera (non ex parte gratiae vel caritatis Christi), sed propter genus poenosum

operis et propter intentionem Christi qui specialius per passionem voluit salvare homines.

Sine nobis, immo sine missis nostris, redemptio perfecte consummata est.

Ergo, cum quodlibet elementum sacrificii absoluti (victima, immolatio naturalis, summa oblatio sacerdotalis, valor infinitus) fuerit unicum, recte concluditur quod, inter ritus christianos, divinitus institutos, sacrificium absolutum, quod est sacrificium crucis, est sacrificium absolutum *unicum*. □

**12. — Confirmatur.** — Sacrificium absolutum, quod est sub omni respectu perfectissimum, debet esse unicum; nam si maxime possidet omnia essentialia sacrificii et nullo effectu defraudetur, inutile reddit aliud sacrificium absolutum.

Ens perfectissimum est unicum: in divinis, unica est essentia, unicus est Pater, unicus Filius, unicus Spiritus Sanctus.

Sed sacrificium crucis est sub omni respectu perfectissimum. Etenim perfectio illa consistit in maxima perfectione omnium elementorum seu

1) victimae; in cruce, hostia fuit res *pretiosissima* totius creationis, seu humanitas Christi.

2) immolationis; mors est *totalis* destructio viventis et in cruce vita humana Christi periit.

3) sacerdotis et oblationis; non datur *major* sacerdos quam Verbum incarnatum et ipse intendebat consummare in cruce, modo humano, *maximam* oblationem sacrificalem.

4) effectuum; valor efficax crucis est tantus quod *nequeat auferi* et quod *ab illo dependeat omne* bonum salutis.

Ergo cum sacrificium crucis sit ita perfectissimum, congruenter asseritur quod debeat esse sacrificium absolutum *unicum*.

### III. PARS

#### DE RELATIONE INTER CELEBRATIONEM MISSAE ET SACRIFICIUM CRUCIS

##### 13. — Reassumptio praecedentium.

Ex hucusque expositis eruitur quod inter ritus christianos, divinitus institutos :

- sacrificium crucis fuit *verum et proprium* sacrificium (concl. II) ;
  - sacrificium crucis fuit sacrificium *absolutum* (concl. III) ;
  - sacrificium crucis fuit sacrificium absolutum *unicum* (concl. IV) ;
- inde sequitur quod cetera sacrificia ritualia, si adsunt, non erunt nisi sacrificia *relativa* hujus sacrificii absoluti.

Unde cum celebratio missae sit *verum* sacrificium christianorum (concl. I), sequitur quod missa sit, in ordine ad crucem, sacrificium *relativum*.

Ab omnibus missa dicitur *memoriale* passionis et crucis. Praecepit Christus : «Hoc facite in meam *commemorationem*» ; docetque Tridentinum missam institutam esse ut crucis sacrificium «*repraesentaretur* ejusque *memoria* in finem usque saeculi permaneret ». ES. 938. — Sed *memoriale* haberi nequit, nisi de re jam finita atque perfecta.

Immo, dici potest quod omnia sacrificia Deo acceptata, fuerunt *relativa* ad crucis sacrificium.

Fulgentius, De fide, ad Petrum 19. 60 : « Firmissime tene, et nullatenus dubites, ipsum unigenitum Deum Verbum carnem factum, se pro nobis obtulisse sacrificium et hostiam Deo in odorem suavitatis ; cui cum Patre et Spiritu Sancto a patriarchis et prophetis et sacerdotibus tempore veteris testamenti animalia sacrificabantur ; et cui nunc, id

est, tempore novi testamenti, cum Patre et Spiritu Sancto, cum quibus illi est una divinitas, sacrificium panis et vini, in fide et caritate, sancta catholica ecclesia per universum orbem terrae offerre non cessat. . . In illis ergo sacrificiis, quid nobis esset donandum, figurate significabatur; in hoc autem sacrificio, quid nobis jam donatum sit, evidenter ostenditur. In illis sacrificiis, praenuntiabatur Filius Dei pro impiis occidendus; in hoc autem, pro impiis annuntiatur occisus ». EP. 2270.

Nunc investigandum est, quam ratione, missa sit sacrificium crucis relativum.

Cum missa sit actio liturgica sat evoluta et constans partibus multiplicibus, quaeritur quanam, inter illas, sit caeremonia quae essentialiter ad sacrificium crucis referatur?

#### 14. — Praenotamen de partibus missae principalioribus.

Essentia sacrificii inquiri debet in missa non catechumenorum, sed fidelium, in qua distinguuntur partes sequentes:

- 1) offertorium (ritus offerendi panem et vinum);
- 2) consecratio duplex, implicite oblativa;
- 3) epiclesis seu, apud graecos, oratio sequens consecrationem et advocans benedictionem divinam super oblata ut sint corpus et sanguis Christi.
- 4) fractio hostiae;
- 5) mixtio hostiae cum sanguine (ritus recentioris aetatis);
- 6) communicatio sacerdotis;
- 7) communicatio fidelium.

15. — In cultu christianae religionis, actio sacrificialis esse nequit:

a) actio quae solo fidelium nomine procedit et non nomine Christi sacerdotis. Ita excluduntur offertorium, epiclesis, fractio hostiae, mixtio hostiae cum sanguine, communicatio tum sacerdotis, tum fidelium.

b) actio in qua ipsa substantia panis et vini offertur, seu in qua humanitas Christi immolata nullam habet partem.



c) actio quae non fuit a Christo peracta. Ita excluduntur mixtio hostiae cum sanguine et epiclesis.

d) actio quae fit circa unam tantum speciem, ut fractio hostiae vel communio fidelium.

16. — **Epiclesim** constituere essentiam sacrificii missae est sententia quae tantum saeculo XIV apparuit et fuit a schismaticis propugnata.

Huic graecorum errori semper sese opposuit Romana Ecclesia, cujus traditio ita a Pio X exprimitur: « Sed nec... intacta relinquitur catholica doctrina de sanctissimo Eucharistiae sacramento, cum praeefracte docetur, sententiam suscipi posse, quae tenet, apud graecos verba consecratoria effectum non sortiri, nisi jam prolata oratione illa, quam epiclesim vocant... » (ES. 2147 a).

Epiclesis fusius exprimit illud quod in solo instanti transsubstantiationis operatum est. « Son but est d'expliquer, apr s coup, selon certain usage liturgique, la conversion opérée dans l'acte instantané de la consécration ».

17. — Secundum nonnullos (Bellarminum, de Lugo, sanctum Alphonsum), **communio**, una cum consecratione constituit sacrificium, quia consecratio adducit victimam, quam communio destruit; sicut olim aderat oblatio, immolatio et deinde *combustio victimae* ad constituendum holocaustum seu sacrificium perfectum.

Immo quandoque docetur quod consecratio esset solum conditio sine qua non sacrificii, quod in sola communione, specierum destructiva, reponeretur. Praedicatur sacrificium *destructivum*.

Sed contra est quod communio nequit considerari ut essentia sacrificii quia:

1) docet Tridentinum: « Si quis dixerit... quod offerri (sacrificium) non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari: a. s. » (ES. 948);

2) sacerdos, communicando seipsum vel fideles, agit nomine proprio;

3) quod datur edendum, jam est immolatum atque oblatum;

- 4) communio nullo modo repraesentat sacrificium crucis ;  
 5) per communionem destruuntur species, sed non victima nostra seu humana natura a Christo assumpta.

18. — Unde, exclusis aliis, dicendum est quod consecratio oblativa jam apparet ut actio ritualis sacrificativa essentialis, nam :

repraesentat sacrificium crucis per praesentiam corporis traditi et sanguinis effusi ;

fuit ab ipso Christo peracta et instituta ut ritus permanens ;

fit nomine et jussu solius Christi (Hoc facite in meam commemorationem).

Quod debet nunc explicitius demonstrari.

*Qua ratione in sola consecratione reponatur essentia sacrificii missae?*

Variae modernorum sententiae :

19. — **Sententia Ia:** Consecratio destruit substantiam panis et adducit praesentiam humanitatis Christi. (Ita Suarez † 1617; Toletus † 1696). Daretur *immutatio nova* vere sacrificialis.

Respondetur :

1. *ex parte panis.* A. Entitas non dicitur destructa eo ipso quod in melius transmutatur. Conversio rei, prius non viventis, in rem viventem non reputatur sacrificium. Etenim immolatio supponit peiorationem quamdam, non autem meliorationem.

B. Substantia panis non pertinet ad ipsum crucis sacrificium.

2. *ex parte victimae.* Corpus Christi non sacrificatur ex hoc quod producitur vel adducitur.

3. *ex parte utriusque substantiae,* panis scilicet destructi et corporis adducti. In sacrificio unico non adsunt, independenter ab invicem, duae victimae, quarum quaelibet propriam habet oblationem et destructionem. In sacrificio unico, eadem victima immolari debet et offerri. In praesenti autem sententia, in missa offeruntur atque destruuntur et panis et corpus Christi.

20. — **Sententia IIa:** Quaelibet consecratio est exinanitio *n o v a* humanitatis Christi, alia ab humiliatione crucis:

a) vel in quantum consecratio reddit humanitatem *i n u t i l e m* ad functiones vitae humanae, et aptam unice ad refectionem nostram per modum cibi et potus. Corpus Christi ponitur in statu decliviori et sicut res insensibilis, inanimata, materialis, permanet in totali creaturarum arbitrio. (Ita de Lugo † 1660; Franzelin † 1886).

Quod corpus Christi existat per modum substantiae videtur quibusdam *m a j o r exinanitio* quam in ipsa cruce.

b) vel in quantum consecratio redigit et offert humanitatem Christi in statu alieno, velato, qui dicitur *m y s t i c a destructio*. (Ita Billot cum discipulis suis).

Respondetur quod non est admittendum sacrificium eucharisticum:

- I. non *t o t a l i t e r* dependens a solo crucis sacrificio;
- II. supponens *i m m u t a t i o n e m* in corpore Christi glorioso;
- III. in quo *s u f f i c e r e t u n i c a* consecratio.

Praeterea, praesens sententia, sicut praecedens, contemplatur in missa duo sacrificia *a b s o l u t a*: destructionem panis realem et exinationem corporis Christi realem atque omnino missae propriam. Immolatio missae apparet ideo quid essentialiter novum relate ad immolationem crucis.

21. — **Sententia IIIa:** Consecratio operatur *i m m o l a t i o n e m n o v a m*, reponendo *i t e r u m* et modo *n o v o*, Christi humanitatem in statu mortis.

(Lessius † 1623; Joan. a Sto-Th. † 1644; Gonet † 1680; Billuart † 1757).

« La parole qui le fait naître est le glaive qui l'immole, mais cependant, sous ce coup mortel, il continue de vivre ».

Respondetur quod destructio illa *m e r e m y s t i c a* non est sacrificium *v e r u m*.

Instant dicendo quod ad sacrificalem immolationem sufficit ut adsit receptio vulneris mortalis, quamvis ex speciali Providentia, mors divinitus impediatur.

Ad haec respondetur quod in tali casu non adesset nisi destructio attentata (un semblant d'immolation ou mieux un projet dont la réalisation fut totalement empêchée). « Passio et mors Christi de caetero non sunt iteranda. » Sum. Th. III, 22, V, ad 2m.

Nota. — Ad doctrinam protestantium melius repellendam, fautores Iae, IIae et IIIae sententiae conati sunt invenire in missa sacrificium omnino novum; ideo agnoscunt in missa et in cruce duo sacrificia sufficienter distincta.

Contra excessum illum se opponit IVa sententia nunc exponenda.

22. — **Sententia IVa:** Ex una parte adest oblatio victimae sine ejus immolatione; — et ex altera parte, crucifixio, ut unica immolatio sine nova oblatione, sunt duae partes quae constituunt unum idemque sacrificium.

Missa consideratur praecipue ut actus oblationis, vel Ecclesiae in terris, vel Christi in coelis; repraesentatio mortis Christi apparet pars: vel essentialis (De la Taille, 1921); - vel conditionalis (Lepin, 1926).

Secundum D. Lepin, sacrificium missae definiri potest: l'oblation que le Christ fait de lui-même et que l'Eglise fait du Christ, - sous les signes représentatifs de son immolation passée.

Contra inconvenientia priorum sententiarum quae videntur ponere duo sacrificia absoluta, orta est sententia ista novissima quae praecipue intendit vindicare unitatem sacrificii christiani.

Ex una parte haberetur forma sacrificii sine ejus materia, id est oblatio sine immolatione; — et ex altera parte, in cruce adfuit materia sine forma sacrificiali, id est immolatio sine nova oblatione; et ita melius apparet sacrificii unitas.

Respondetur quod in sola passione Christi, independenter ab omni ritu eucharistico, agnoscere debemus totam rationem sacrificii perfectissimi. — Missa non est nisi quaedam participatio sacrificii crucis.

Tridentinum Concilium explicite distinguit *duo* sacrificia: *unum in cruce* cruentum et *aliud in missa incruentum*; et similiter *duas* oblationes: *una* in cruce et *altera* in missa.

« Dominus noster... seipsum in ara crucis... oblaturus erat (unde

in cruce fuit oblatio vera et tamen). . . *in coena novissima corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit* » (unde in coena fuit vera oblatio). Ergo duae confitendae sunt oblationes. ES. 938.

« *Fructus oblationis cruentae (cruis) per hanc incruentam (missae) uberrime percipiuntur* ». Ideo duae distinguuntur oblationes. ES. 940.

« *Ut (Christus) dilectae sponsae suae Ecclesiae relinqueret sacrificium (agitur de sacrificio missae), quo cruentum illud semel in cruce (agitur de sacrificio cruicis) peragendum repraesentaretur. . .* ».

Ergo distinguenda sunt duo sacrificia, unum absolutum in cruce, aliud relativum in missa. ES. 938.

Omnes admittere debent quod *Christus tradidit semetipsum pro nobis, in cruce, hostiam Deo in odorem suavitatis* (Eph. V, 2); et nihilominus Tridentinum praedicat aliam adhuc immolationem nam: « *Christus novum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum* ». ES. 938. Ex quo duae confitendae sunt immolationes.

Cfr. ex Sum. Theol. III, 83, I, sed contra, ubi sanctus Thomas citat augustinianam sententiam: « *Semel immolatus est in semetipso Christus, et tamen quotidie immolatur in sacramento* ».

**23. — Conclusio V. — Quoad sacrificium absolutum cruicis consecratio eucharistiae non est sacrificium relativum mere vacuum.**

Declaratur. Trid. ES. 950. « *Si quis dixerit, Missae sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti. . . a. s.* »

Leo XIII. Encycl. « *Mirae caritatis* » die 28 maii 1902. Cav. 1105, « . . . Eucharistia quae mortis ipsius (Christi) *non inanis* quaedam, *nudaque commemoratio* est. . . »

Pius XII. Litt. Enc. « *Mediator Dei et hominum* »; cfr. Acta Apos. Sedis, 2 Decembris 1947, pag. 548. « *Augustum igitur altaris sacrificium non mera est ac simplex Jesu Christi cruciatuum ac mortis commemoratio, sed vera ac propria sacrificatio, qua quidem per incruentam immolationem Summus Sacerdos id agit quod jam in Cruce fecit, semetipsum aeterno Patri hostiam offerens acceptatissimam* ». — Pag. 598, « *(Sacrificium Eucharisticum est) institutum a Christo ut verum sacri-*

ficium; a sacrificio Crucis distinctum, non ratione victimae et Sacerdotis principalis, sed offerendi ratione ».

Probatum ratione theologica. — Si extra sacrificium absolutum ejus *propria* victima *realiter* praesens in statu *immolativo*, debet offerri *participative et necessarie* ad applicandos ritualiter *omnes* fructus illius sacrificii absoluti, non agitur de sacrificio relativo mere ficto.

Sed in missa, extra sacrificium crucis, humanitas Christi *realiter* praesens in statu *immolationis*, offertur *participative et necessarie* ad applicandos ritualiter *omnes* fructus illius sacrificii absoluti crucis.

Ergo in missa, consecratio eucharistica non est sacrificium relativum mere vacuum.

**24. — Conclusio VI. — Transsubstantiatio duplex, oblativa ac salutifera, constituit sacrificium relativum quod vere, realiter continet sacramentaliter et participative, sacrificium absolutum crucis.**

Declaratur. Trid. ES. 938. « Dominus noster ut relinqueret sacrificium (*missa vere est sacrificium*), quo cruentum (*in cruce absolutum unicum*) repraesentaretur (*est relatio signi*)... corpus (*realiter praesens totaliter et integre*) sub speciebus obtulit (*ecce forma sacramentalis*) et apostolis ut offerrent (*participative*) praecepit; ... instituit seipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus (*sacramentaliter*) immolandum ».

Trid. ES. 940. « ... in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, *idem* ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis *semel* se ipsum cruenta obtulit... *Una enim eademque* est hostia, *idem* nunc offerens, sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, *sola offerendi ratione diversa*. » Leo XIII. Encyc. « Mirae Caritatis ». Cav. 1105. « . . . Eucharistia quae mortis ipsius (Christi)... vera et mirabilis, quanquam incruenta et mystica renovatio est. »

Pius XII. Enc. « Mediator Dei et hominum ». Die 20 Novembris 1947. - In Cruce enim, totum semetipsum suosque Deo obtulit dolores (*ergo in cruce adfuit oblatio*); victimae vero immolatio (*etiam in cruce*) per cruentam mortem, libera voluntate obitam, effecta est. (*In cruce adfuit sacrificium absolutum et perfectum*). In ara autem, ob gloriosum humanae naturae suae statum, « mors illi ultra non dominabitur », ideoque

sanguinis effusio haud possibilis est ; verumtamen ex divinae sapientiae consilio Redemptoris nostri sacrificatio (*missa est vere sacrificium*) per externa signa (*sacramentalia*), quae sunt mortis indices, mirando quodam modo ostenditur. Siquidem per panis «transsubstantiationem» in corpus vini in sanguinem Christi, ut ejus corpus reapse praesens habetur, ita ejus cruor : eucharisticae autem species (*sacramentales*), sub quibus adest, cruentam corporis et sanguinis separationem figurant (*repraesentatione non nuda, neque vacua, sed realitatis repleta*). Itaque memorialis demonstratio ejus mortis, quae reapse in Calvariae loco accidit, in singulis altaris sacrificiis iteratur, quandoquidem per distinctos indices (*sacramentales*) Christus Jesus in statu victimae significatur atque (*efficaciter*) ostenditur. Cfr. Acta Apos. Sedis. 2 decembris 1947, pag. 548-9.

Liturgia in oratione secreta dominicae IX. post Pentecosten. «Quoties hujus hostiae commemoratio celebratur, opus nostrae redemptionis exercetur.»

Catechismus Romanus. De eucharistiae sacramento. No 76. «*Unum* itaque et *idem* sacrificium esse fatemur, et haberi debet, quod in missa peragitur et quod in cruce oblatum est ; quemadmodum *una* est et *eadem* hostia, Christus videlicet Dominus noster, qui seipsum in ara crucis *semel* tantummodo cruentum immolavit. Neque enim cruenta et incruenta hostia, *duae* sunt hostiae, sed *una* tantum cujus sacrificium, postquam Dominus ita praecepit : «Hoc facite in meam commemorationem», in eucharistia quotidie instauratur ».

Augustinus, Epistula 98 : Nonne *semel* immolatus est Christus *in se ipso*, et tamen *in sacramento* non solum per omnes paschae solemnitates, *sed omni die* populis immolatur ; nec utique mentitur, qui interrogatus, eum responderit immolari. EP. 1424.

Probatur ratione theologica. — Habetur sacrificium relativum continens sacramentaliter et participative sacrificium absolutum crucis, si adest :

- 1) eadem victima, sed *non* in statu suo *proprio* ;
- 2) eadem immolatio, sed *non* secundum *naturalem* modum ;
- 3) eadem oblatio, sed *participative* ;
- 4) iidem fructus, sed quoad *particularem applicationem*.

Sed transsubstantiatio duplex, oblativa ac salutifera, repraesentat et reddit contentam sub speciebus :

1) eandem victimam crucis, sed non in suo statu *proprio*. Trid. ES. 885. « Si quis negaverit, in venerabili sacramento Eucharistiae *sub unaquaque specie* et *sub singulis cujusque speciei partibus*, separatione facta, totum Christum contineri, a. s. ». Item. ES. 876. « Totus enim et integer Christus *sub specie panis* et *sub quavis ipsius speciei parte*, totus item *sub specie vini* et sub ejus partibus existit. »

2) eandem immolationem crucis, sed non secundum naturalem modum immolandi. — *Vi sacramenti seu consecrationis*, corpus et sanguis, sub duobus signis symbolicis a Christo assumptis, sunt ab invicem ritualiter separata sicut in cruce.

In eucharistia, dicitur quod Christus immolatur quia per positionem istius sacramenti, nobis incruente praesens est immolatio Christi cruenta, seu nobis praesens est impassibiliter Christus immolatus.

Immolatio cruenta et immolatio incruenta non constituunt duas immolationes independentes, sed *unam* tantum quae adfuit *absolute, naturaliter* in ligno crucis et quae adest *relative, sacramentaliter* in coena eucharistica.

3) eandem oblationem sed participatam.

Ipsa perfecta oblatio Christi incepit in primo instanti incarnationis ; tota ejus vita fuit sacerdotalis oblatio quae obtinuit suam maximam expressionem externam in sacrificio Calvarii, et perseverat usque ad finem mundi.

Explicatur secundum Heb. X. 4: « *Ingrediens mundum* dicit : hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Tunc dixi : Ecce venio ; in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam, *in qua voluntate* sanctificati sumus per *oblationem* corporis Jesu Christi *semel* ».

Christus, a primo instanti suae incarnationis, secundum scientiam suam infusam omnia cognovit, (excepta deitate in seipsa), et cognovit ista omnia non solum in communi sed particulariter, et actu ininterrupto, se extendens ad omnia dona gratiae sine ulla exceptione. Secundum illam scientiam Christus se obtulit.

Illa oblatio redemptiva quae secundum scientiam infusam se extendit *unico actu* ad omnia bona salutis, participatur multoties, quasi infinities, a scientia *nostra acquisita* humana in celebratione eucharistiae.



Christus in coena, secundum *scientiam suam experimentalem* actuavit humanitus aliqua eorum quae jam existebant in sua scientia superiori.

Similiter quilibet sacerdos in missa actuat modo humano, aliqua quae erant angelico modo in mente Christi.

In fine mundi, post celebrationem ultimae missae, summa omnium oblationum quae fuerunt peractae modo humano experimentali a sacerdotibus celebrantibus, aequivalebit unicae oblationi capitali Christi, quam ipse protulit semel secundum scientiam suam infusam.

Similiter, in aeterna Dei praedestinatione, omnia futura jam sunt in seipsis eminenter in Deo praesentia, sed quoad nos, particulariter, paulatim realizantur.

4) applicationem specialem aliquorum effectuum crucis. Iidem effectus procurantur :

a) in seipsis per crucem.

b) secundum suam applicationem per missas celebratas. Inde dictum est quod sub sacrificali aspectu : « Sacrificium crucis omnia nobis meruit, sed nihil nobis contulit ; dum sacrificium missae nihil nobis meret, sed omnia nobis confert ».

Ideo quia transsubstantiatio duplex, oblativa ac salutifera continet sacramentaliter et participative omnia elementa essentialia sacrificii crucis, bene concluditur transsubstantiationem esse sacrificium relativum quod vere continet pro nobis sacrificium absolutum crucis.

## 25. — Corollarium. — In cruce et in missa :

I<sup>o</sup> sub uno aspectu, est identitas sacrificii ;

II<sup>o</sup> sub alio aspectu sunt sacrificia diversa.

Pius XII. Enc. « Mediator Dei et hominum », die 20 nov. 1947. « Per incruentam (*missae*) immolationem Summus Sacerdos id agit quod jam in Cruce fecit semetipsum aeterno Patri hostiam offerens acceptissimam. — **Idem** itaque sacerdos, Christus Jesus, cujus quidem sacram personam ejus administer gerit. Hic siquidem ob consecrationem quam accepit sacerdotalem, Summo Sacerdoti assimilatur. Ac potestate fruitur operandi virtute ac persona ipsius Christi. Quamobrem actione sua sacerdotali Christo quodammodo « linguam suam commodat,

manum porrigit ». **Eadem** pari modo **victima** est, divinus nempe Redemptor, secundum humanam naturam suam, et in corporis sanguinisque sui veritate. Dissimilis tamen ratio est qua Christus offertur ». Pag. 548. A. A. S. 2 XII, 47.

**1<sup>o</sup>. De identitate sacrificii** (Contra tres priores sententias supra N. 19, 20, 21).

In missa :

- 1) nulla victima praesentatur quae non fuerit in cruce praesens;
- 2) nihil immolatur quod non fuerit in cruce immolatum;
- 3) nihil offertur quod non fuerit in cruce oblatum et nihil petitur quod non fuerit in cruce petitum;
- 4) nihil obtinetur quod non fuerit in cruce obtentum.

Praeter declarationes authenticas, numquam satis perpendendas, Tridentini et Catechismi Romani, quaedam nova adducemus testimonia :

Trid. ES. 940. «...in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, *idem* ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis *semel* se ipsum cruenta obtulit... *Una* enim *eademque* est hostia, *idem* nunc offerens, sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, *sola offerendi ratione diversa.* »

Catechismus Romanus. De eucharistiae sacramento. N. 76. « *Unum* itaque et *idem* sacrificium esse fatemur, et haberi debet, quod in missa peragitur et quod in cruce oblatum est; quemadmodum *una* est et *eadem* hostia, Christus videlicet Dominus noster, qui seipsum in ara crucis *semel* tantummodo cruentum immolavit. Neque enim cruenta et incruenta hostia, *duae* sunt hostiae, sed *una* tantum cuius sacrificium, postquam Dominus ita praecepit: “Hoc facite in meam commemorationem”, in eucharistia quotidie instauratur ».

Joannes Chrysostomus, in epist. ad Hebraeos homiliae, 17, 3: «Quid vero, annon nos cotidie offerimus? — Offerimus quidem, sed ejus mortem revocamus ad memoriam, et ipsa *una* est, non multae. Quomodo una est, non multae? — Quoniam *semel* fuit oblata, sicut illa fuit in sancta sanctorum. Hoc est figura illius et ipsa istius; *eumdem* enim *semper* offerimus, non nunc aliam, cras aliam ovem, sed *semper eandem*. Quamobrem *unum* est sacrificium propter hanc rationem; alio-

quin hac ratione, quoniam multis in locis offertur, multine sunt Christi ? — Nequaquam, sed unus ubique Christus, qui et hic est plenus, et illic est plenus, unum corpus. Ut ergo multis in locis oblatus, unum est corpus et non multa corpora, ita etiam *unum* est sacrificium ». EP. 1222.

Thomas de Aquino : « Sacrificium autem, quod quotidie in ecclesia offertur, non est aliud a sacrificio quod ipse Christus obtulit, sed ejus commemoratio ». III, 22, III, ad 2m.

Idem : « Licet passio et mors Christi de caetero non sint iteranda, tamen virtus illius hostiae semel oblatae permanet in aeternum ». III 22, V, ad 2m.

II<sup>o</sup>. De diversitate sacrificiorum (contra quartam sententiam supra n. 22).

1) Relate ad praesentiam victimae. Victima quae in cruce, praesens in suo statu proprio, fuit *cum propriis dimensionibus* comparata ad locum, est in eucharistia praesens *sub specie sacramentali* et *per modum substantiae*.

2) Relate ad modum sacrificandi. Eadem immolatio quae in cruce fuit *cruenta*, passibiliter, secundum *naturalem* separationem corporis et sanguinis per vulnera violentae mortis, adest in eucharistia modo *incruento*, impassibiliter, *vi verborum* sacramentalium.

3) Relate ad oblationem a Christo sacerdote factam. In cruce sacrificium offertur *a capite ipso in persona propria* pro *omnibus hominibus* generaliter ; in missa sacrificium idem offertur, *ministrantibus hominibus*, pro *aliquibus hominibus* specialiter.

4) Relate ad fructus. Beneficium crucis fuit pro *omnibus* insimul ; missa applicat illud specialiter *aliquibus*. Trid. ES. 940 : « Cujus oblationis cruentae fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur ».

Unde crux, coena, missa, prout important signa externa distincta, actiones rituales distinctas, fructus perceptos distinctos, dici possunt distincta numero sacrificia.

Diversitas illa implicite quidem, sed vere docetur a Tridentino : « Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo *verum* et *proprium* sacrificium. . . A. S. ». ES. 948. — Quaelibet missa constituit aliquod *speciale* sacrificium. Sanctus Thomas, in III. P. Q. 83, art. I, in *sed contra*, reassumit sententiam augustinianam jam supra relatam : « Semel immolatus est in semetipso Christus, et tamen *quotidie immolatur* in sacramento »

Sum. Theol. III, 79, VII ad 3m: In pluribus vero missis *multiplicatur* sacrificii oblatio, et ideo *multiplicatur* effectus sacrificii et sacramenti.

Gregorius Magnus, Dialogi, 4, 58: «(Christus) in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis *iterum* in hoc mysterio sacrae oblationis *immolatur*. Ejus quippe *ibi* corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur, ejus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra, *passionem* unigeniti Filii semper *imitatur* ». EP. 2323.

## 26. — Conclusio VII. — Missa est sacramentum crucis.

Sensus non est quod sit aliquod octavum sacramentum novae Legis, sed quod sicut eucharistia *in facto esse* est sacramentum corporis et sanguinis Christi, ita eucharistia *in fieri* (seu Consecratio) est sacramentum sacrificii Christi in cruce.

Missa consideratur hic in parte sua essentiali, quae est duplex transsubstantiatio, panis scilicet et vini consecratio, qua corpus et sanguis Christi realiter sunt praesentia. Cf. supra n. 18, 24.

Crux intelligitur crucis sacrificium, quo peracta est Verbi Incarnati immolatio, cujus demonstrativum testimonium est ipsa separatio corporis et sanguinis. Cfr. supra n. 8, 10, 11.

Sacramentum est signum rei sacrae. Signum est id quod repraesentat aliud a se; vel secundum Augustinum: «Id quod praeter speciem quam sensibus ingerit, facit aliquid aliud in cognitionem venire».

Signum sacramentale est signum practicum, non mere speculativum, id est non unice destinatum ad intentionaliter repraesentandum; ut sunt verba magistri; vexillum patriae. Signa practica repraesentant in ordine ad aliquod opus effectum vel efficiendum ad sui praesentiam. Horologium signat horam; fumus indicat combustionem.

Sacramenta sunt signa rei sacrae sanctificantis hominem. Circumcisio, seu ritualis ablatio praeputii, fuit signum aggregationis ad populum Dei.

Manducatio agni paschalis significabat gratiam salutis confortativam.

Ablutio ritualis baptismi significat regenerationem supernaturalem.

Similitudo maxima invenitur in constitutione sive sacramenti, sive sacrificii.

Augustinus, De Civitate Dei, X, 5: «Sacrificium ergo visibile, invisibilis sacrificii *sacramentum*, id est sacrum signum est». EP. 1744.

Materia sensibilis et forma sensibilis adsunt, et in sacramento et in sacrificio.

Etenim, in sacramento, adsunt res ut materia (aqua, oleum, panis, instrumenta), et verba ut forma. — In sacrificio adest victima ut materia, et immolatio ejus ut forma.

Intentio in sacramentis est faciendi quod facit Ecclesia, quae vult de facto concedere aliquam gratiam sanctificantem ad viatoris salutem. — Intentio in sacrificio est offerendi victimam ad reconciliandos homines cum Deo, quae reconciliatio supponit donum gratiae sanctificantis.

Quod missa sit sacramentum crucis, declaratur ex auctoritate.

Augustinus, De civitate Dei, 10, 20: «Et sacerdos est (Christus), ipse offerens, ipse et oblatio. Cujus *rei sacramentum*, cotidianum esse voluit ecclesiae sacrificium». EP. 1745.

Augustinus, Contra Faustum manichaeum, 20, 21: «In psalmis canitur: Sacrificium laudis glorificabit me... Hujus sacrificii caro et sanguis, ante adventum Christi, per victimas similitudinum promittebatur; in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur; post ascensum Christi, *per sacramentum memoriae* celebratur». EP. 1604.

Augustinus, Epistula 98, 9: «Nonne semel immolatus est Christus in se ipso, et tamen in *s a c r a m e n t o* non solum per omnes paschae solemnitates, sed *omni die* populis *immolatur*; nec utique mentitur, qui interrogatus, eum responderit immolari. — Si enim sacramenta quamdam similitudinem rerum earum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque jam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quemdam modum sacramentum corporis Christi, corpus Christi est; sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est; ita sacramentum fidei, fides est... Per hoc cum respondetur parvulus credere, qui fidei nondum habet affectum, respondetur fidem habere propter fidei sacramentum». EP. 1424.

Ideo, secundum Augustinum, sacramentum immolationis Christi in cruce dicitur crucis immolatio.

Sanctus Thomas, Sum. Theol. III, 83, I, c.: « Celebratio hujus *sacramenti* dicitur immolatio Christi: primo quidem, quia, sicut dicit Augustinus ad Simplicianum, solent imagines, earum rerum nominibus appellari quarum imagines sunt. Sicut cum intuentes tabulam aut parietem pictum, dicimus: Ille Cicero est, et ille Sallustius. Celebratio autem hujus sacramenti. . . *imago quaedam est repraesentativa* passionis Christi, quae est vera ejus immolatio. Unde Ambrosius dicit: In Christo semel oblata est hostia, ad salutem sempiternam potens. — Quid ergo nos? — Nonne per singulos dies offerimus? — sed ad recordationem mortis ejus ».

Thomas. Sum. Th. III, 74, I, c.: « In qua (Christi passione) sanguis est a corpore separatus; et ideo *in hoc sacramento*, quod est *memoriale dominicae passionis*, seorsum sumitur panis ut *sacramentum corporis*, et vinum ut *sacramentum sanguinis* ».

## Ratio theologica.

Sacrificium crucis fuit actio eminenter sacra et sanctificans, cujus sacramentum, seu signum vividum est consecratio seu eucharistia prout consideratur *in fieri*.

<p>Etenim in sacrificio crucis :</p> <ol style="list-style-type: none"><li>1) materia sensibilis seu victima est <b>humanitas Christi</b> in suo statu proprie humano ;</li><li>2) forma sensibilis est immolatio naturalis, peracta per cruentam separationem sanguinis a corpore ;</li><li>3) intentio interna seu oblatio fuit peracta a Christo-Capite in persona propria ad redemptionem omnium ;</li><li>4) finis extrinsecus seu fructus sunt omnia bona salutis.</li></ol>	<p>In sacrificio missae :</p> <ol style="list-style-type: none"><li>1) materia duplex seu species panis et vini sacramentaliter significat et continent ipsam humanitatem Christi ;</li><li>2) duplex forma seu consecratio sacramentaliter significat et vere continet ipsam immolationem redemptivam seu separationem sanguinis a corpore.</li><li>3) oblatio ministri celebrantis significat et participative continet ipsam oblationem Verbi incarnati ;</li><li>4) communicatio ad sacrificium missae significat participationem ad sacrificium crucis et fructus crucis applicantur per missam.</li></ol>
--	---

Unde sicut eucharistia *in facto esse est* sacramentum corporis et sanguinis Christi, ita eucharistia *in fieri* (seu Consecratio) est sacramentum sacrificii Christi in cruce.

27. — Analogia inter sacramentum novae legis (baptismum), sacrificium crucis et celebrationem eucharistiae, per schema sequens adhuc manifestatur :

	Actio externa	Finis intrinsecus	Finis extrinsecus
	<div style="border-top: 1px solid black; border-bottom: 1px solid black; padding: 5px 0;">                     Materia sensibilis      Forma sensibilis                 </div>	<div style="border-top: 1px solid black; border-bottom: 1px solid black; padding: 5px 0;">                     Intentio agendi                      sec. Ecclesiam seu                      forma <i>mentalis</i>.                 </div>	<div style="border-top: 1px solid black; border-bottom: 1px solid black; padding: 5px 0;">                     Effectus                 </div>
<b>Baptismus :</b>	Ablutio aquae.      « Ego te baptizo... »  Humanitas Christi, praesens in suo statu proprio.      Immolatio cruenta humanitatis Christi modo naturali.	Intentio regenerandi supernaturaliter.	Res. Regeneratio baptizati per gratiam.  Justitia Dei placata per valorem crucis infinitum.
<b>Cruz :</b>	Species significantes et vere continentes Christi humanitatem. immolationem.      Verba quae reddunt praesentem, modo incruento, crucis immolationem.	Oblatio, Deo facta, in sua plenitudine, a Christo-Capite, pro omnium salute.	Singuli fideles recipiunt crucis fructus.
<b>Missa :</b>		Oblatio, Deo facta, participative a ministro, pro individualibus necessitatibus.	



## INDEX RERUM

## Prima pars

## DE EXISTENTIA SACRIFICII EUCHARISTICI

Num.	Pag.
1. Praenotamen de notione sacrificii . . . . .	5
2. Errores de existentia sacrificii missae . . . . .	7
3. Conclusio I: Missa, seu eucharistiae celebratio, est verum, singulari et proprium sacrificium, a Christo pro nobis institutum Declaratur ex Ecclesiae Magisterio . . . . .	8
4. Declaratur ex synopticis et ex I. Cor. . . . .	9
5. Confirmatur ex adimplentione figurae Melchisedech . . . . .	13
6. Confirmatur ex prophetia Malachiae . . . . .	15
7. Ratio convenientiae . . . . .	16

## Secunda pars

## DE SACRIFICIO CRUCIS

8. Conclusio II: Passio Christi in cruce fuit verum et proprium sacrificium. . . . .	17
9. De sacrificio absoluto et relativo . . . . .	18
10. Conclusio III: Sacrificium crucis fuit sacrificium absolutum	19
11. Conclusio IV: In divinis christianae religionis ritibus, non datur sacrificium absolutum nisi unicum . . . . .	21
12. Confirmatur conclusio . . . . .	22

## Pars tertia

**DE RELATIONE INTER CELEBRATIONEM MISSAE  
ET CRUCIS SACRIFICIUM**

Num.	Pag.
13. Reassumptio praecedentium . . . . .	23
14. Partes missae principales . . . . .	24
15. De non-constituentibus essentiam sacrificii . . . . .	24
16. Epiclesis . . . . .	25
17. Communio . . . . .	25
18. Consecratio est essentia sacrificii eucharistici . . . . .	26
19. Sententia I: Consecratio destruit panem et adducit Christum	26
20. Sententia II: Consecratio est exinanitio Christi nova . . . . .	27
21. Sententia III: Consecratio operatur de se quasi novam mortem Christi . . . . .	27
22. Sententia IV: Missa-oblatio et crucifixio-immolatio constituunt sacrificium unicum ut partes ejus essentielles . . . . .	28
23. Conclusio V: Erga sacrificium absolutum crucis, consecratio eucharistica non est sacrificium relativum mere vacuum . . . . .	29
24. Conclusio VI: Transsubstantiatio duplex, oblativa et salutifera, constituit sacrificium relativum quod vere, realiter, continet sacramentaliter et participative, sacrificium absolutum crucis . . . . .	30
25. De identitate et diversitate inter missam et sacrificium crucis	33
26. Conclusio VII: Missa est sacramentum crucis. . . . .	36
27. Comparatio inter baptismum, crucem et missam . . . . .	40

